

LIBELLUS

DE POTESTATE ET VOLUNTATE DEI

UTRA MAJOR SIT.

Quæritur de potestate Dei, an major sit voluntate ejus. Si enim plus potest Deus quam vult, videretur potestas ejus major quam voluntas. Si autem potestas ejus major est quam voluntas ejus, videretur in eo esse inæquale aliquid, et non totus sibi convenire Deus. Quomodo ergo unum est totum quod est, si majus et minus ibi est? Si vero idem illi est et posse et velle, eadem est potestas ejus et voluntas ejus. Si autem idem illi est et posse et velle, quidquid vult potest, et quidquid potest vult. Vult autem omne quod facit, quia contra voluntatem nihil facit, qui voluntarie facit quidquid facit. Rursum omne quod vult facit, quia ad omnia posse adest, cum velle non deest. Si ergo amplius non potest Deus facere quam vult, neque amplius facere vult quam facit, constat procul dubio quod amplius facere non potest quam facit. Amplius: Si potest Deus plus facere quam vult, potest contra voluntatem suam facere, et facere quod in voluntate non habet, et est potestas ejus contraria voluntati ejus. Unde consequens esse videtur, quod omne quod potest et vult, facit; sicut omne quod facit, potest et vult. Sic omne quod potest vult, sicut omne quod vult potest. Sed si hoc recipitur quod Deus aliud vel aliter nihil facere possit quam facit, necessitate operatur omnia, et alligatur atque constringitur lege operum suorum ut dominetur et conditio operis sui; sed hoc nefas es confiteris. Quomodo ergo, inquiunt, idem est Deo velle et posse, si major est potestas ejus quam voluntas? Videte qui dicunt. Major, inquiunt, secundum vos, potestas Dei est quam voluntas ejus. Quare? Quia dicitis Deum plus posse quam velle. Intendite. Si idcirco major dici debet potestas Dei quam voluntas ejus, quia multa facere potest quæ facere non vult; ergo et voluntas major esse dicatur quam potestas, quia multa quæ facere potest non facit, quia facere non vult. Si enim potestas major dicitur, quia voluntatem transcendit; et voluntas major dicatur, quia potestatem constringit. Sed, sicut potestas non coarctatur in eo quod sine voluntate nihil operatur; ita et voluntas non superatur in eo quod non ad omnia quæ in potestate sunt dilatatur. Tria sunt, affectus, effectus et respectus. Voluntas ergo et potestas in Deo et affectu et effectu unum sunt, sed respectu ad unum non sunt. Quomodo hæc duo in Deo affectu unum sunt? Quia in ipso nec voluntas sine potestate est, nec potestas

A sine voluntate. Potestas sine voluntate esset, si aliquando haberet potentiam, quam habere nollet. Rursus voluntas sine potestate esset, si aliquando non ex virtute, sed ex infirmitate aliquid vellet. Quia ergo et potestas in ipso semper voluntaria est, et voluntas potestativa (quoniam quod potest, omne posse vult; et quod vult, omne ex potestate vult); idcirco in ipso nec potestas sine voluntate est, nec voluntas sine potestate est. Similiter in effectu nec voluntas a potestate, nec potestas a voluntate ullatenus separari potest. Quidquid enim Deus voluntate facit, facit et potestate; et rursum quidquid facit potestate, facit et voluntate. Quia omnia quæ facit et voluntate et potestate facit. Ergo in omni opere suo Deus et voluntatem et potestatem exercet; nec se dividunt in opere, quæ dividi non possunt in operante. Sic igitur potestas Dei et voluntas et affectu in ipso et affectu per ipsum indivisa perseverant, respectu extra ipsum dissimiliter se demonstrant. Quia enim Deus veraciter non omne quod potest velle dicitur, quia multa facere potest quæ facere non vult, nihil autem facere vult quod facere non potest; ideo ad quædam respicit potestas ejus ad quæ non respicit voluntas ejus. Ad omnia autem ad quæ respicit voluntas ejus, respicit potestas ejus. Sic igitur potestas divina respectu aliquando ad alia se habet quam voluntas, sed in se aliud non habet quam voluntas, quia contra voluntatem nihil habet.

C Sed dicunt: Si Deus aliquid facere potest quod non vult, aliquid facere potest contra voluntatem suam. Si autem contra voluntatem suam aliquid facere potest, non est omnipotens qui cogi potest et duci ad id quod non vult. Sed videte quomodo cohæreat, quod dicunt, quod si Deus aliquid facere potest quod facere non vult, ergo contra voluntatem suam aliquid facere potest. Contra voluntatem suam quippe faceret si faceret quod facere nollet. Non autem idcirco quia aliquid facere potest quod facere non vult, contra voluntatem suam facere potest, quia si id faceret quod facere potest, et non vult, jam illud facere vellet quod faceret; sicut modo, quia facere non vult non facit quod tamen facere posset, si vellet. Sic præscientia et prædestinatio in Deo, si secundum respectum considerantur, dissimiliter se habent, cum tamen in Deo unum sint. Præscientia enim et ad mala et ad bona se habet. Præ-

destinatio ad bona tantum. Omnia quippe futura præscivit, electos autem tantum prædestinavit. Similiter et prædestinatio, quando pro dispositione accipitur, in respectu tamen præscientiæ parificari non potest, quia præscientia Dei et ad ea quæ facturus est pertinet, et ad ea quæ permissurus. Præ-

A destinatio autem ad ea quæ facturus est tantum. Ambrosius enim dicit : « Prædestinavit Deus impiorum gehennam, sed non prædestinavit, impiorum culpam. » Quod enim facturus fuit prædinavit, quod autem facturus non fuit, sed permissurus, non prædestinavit, sed præscivit.

DE QUATUOR VOLUNTATIBUS IN CHRISTO LIBELLUS

Quæris de voluntate Dei, et de voluntate hominis similiter. Christus Deus fuit, et ideo voluntas divina in illo fuit. Et quia etiam homo fuit, similiter voluntas humana in illo fuit. Non dico humanam quam culpa et vitium hominis facit, sed quam natura hominis requirit. Ergo in Christo divina voluntas fuit in quantum Christus Deus fuit; et similiter humana voluntas in ipso fuit in quantum ipse homo fuit. Humana autem voluntas tripliciter consideratur; secundum rationem, secundum pietatem, secundum carnem. Ergo in Christo voluntas fuit divinitatis et voluntas rationis, et voluntas pietatis et voluntas carnis. Voluntas divinitatis per justitiam sententiam dictabat; voluntas rationis per obedientiam, veritatem approbat; voluntas pietatis per compassionem in malo alieno suspirabat; voluntas carnis per passionem in malo proprio murmurabat. Vide an non omnia hæc in Christo. Ille leprosus qui sanitatem precabatur et majestatem confitebatur, potentiam voluntatis divinæ confessus est, dicens : *Domine, si vis, potes me mundare* (Luc. v). Et Dominus ut ejusdem voluntatis divinæ et sententiam et potentiam ostenderet propter sententiam ait : *Volo*, propter potentiam subjunxit *mundare* (*ibid.*). Hoc est exemplum voluntatis divinæ in Christo. Propter voluntatem rationis, quæ voluntati divinæ per obedientiam subiciebatur, dixit : *Spiritus quidem promptus est* (Matth. xxvi). Propter voluntatem carnis, quæ pœnam horrendo per infirmitatem passioni renitebatur dixit : *Caro autem infirma* (*ibid.*). Spiritus promptus erat per voluntatem rationis dispositionem divinæ voluntatis in passione carnis suæ sequendo. Caro autem infirma, per naturalem providentiam qua malum suum odire acceperat, passioni renitendo. Secundum voluntatem itaque deitatis in dispositione præcedentem, et secundum voluntatem rationis divinam dispositionem approbantem et subsequentem Christus pati voluit. Secundum autem voluntatem carnis, secundum quam naturaliter in quantum homo fuit, eandem carnem suam quia odio non habuit, pati noluit. Neque in hoc tamen divinæ voluntati contrarius fuit; quia et hoc ipsum quod noluit eum nolle divinæ voluntatis fuit.

B Erat adhuc alia voluntas in Christo, voluntas pietatis sive humanitatis. Nam ipsa pietas humanitas vocatur, et dicuntur humani qui pii sunt, et facile alienis miseris compatiuntur. Proprium est enim humanitatis compati et moveri pietate in miseria aliena. Bestia pati potest, compati autem humanitatis est proprium. Idcirco voluntas pietatis, voluntas humanitatis vocatur, quia hominis est pietate moveri. Et hæc similiter secundum naturam humanitatis in Christo invenitur. Cum appropinquaret Jerusalem *videns civitatem flevit super eam* (Luc. xix). Quare flebat si non dolebat? Ergo noluit quod doluit. Quid doluit? perditionem. Si doluit de perditione illorum, noluit perditionem illorum. Quomodo noluit? Secundum voluntatem utique divinam quod justum futurum erat, voluit. Secundum voluntatem rationis, justitiæ consensit, et justitiam approbavit. Porro secundum voluntatem pietatis sine odio justitiæ condoluit miseræ, quemadmodum secundum voluntatem carnis justitiam non accusabat, sed pœnam recusabat. Unaquæque voluntas quod suum erat operabatur, et quod ad se pertinebat sequebatur. Voluntas divina justitiam, voluntas rationalis obedientiam, voluntas humanitatis misericordiam, voluntas carnis naturam. Neque alia alii contraria erat, sed unaquæque quod suum erat appetiit, ut quamvis ad aliud esset, alii tamen contraria non esset. Hoc est ut licet ad aliud velle haberet, ad aliam tamen nolle non haberet. Sicut enim divinitati natura erat justitiam non deserere, sic carni justum erat naturam servare: et pietati alienam miseriam non amare. Sic itaque in Christo voluntas fuit divinitatis, justitiam dictans; voluntas rationis, justitiam approbans; voluntas humanitatis, per quam nulli malum voluit; voluntas carnis, per quam sibi pœnam noluit. Justum itaque carni erat, quod passionem suam noluit, quia hoc erat secundum naturam, et justum Deo erat, quod passionem illius voluit; quia hoc erat secundum justitiam. Neque enim idcirco caro noluit, quia Deus voluit, sicut et Deus idcirco non voluit, quia caro noluit. Similiter et pietas quod secundum affectum compassionis in pœna vel perditione miserorum misericorditer noluit, nequaquam contra Deum id juste volentem no-